



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 110. Concilium ab utriusque obedientiæ Cardinalibus Pisas convocatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

## §. CIX.

Sæcul. XV.  
A.C. 1408.*Gregorius Lucca Senas redux.*

**E**o tempore Gregorius Lucca discedere constituit; Romam vero regredi minime ausus est, civium in se odium veritus, qui perperam de illo suspicabantur, eum cum Ladislao, ingentem jamjam Patrimonii Ecclesiæ partem usurpante, colluisse. Itaque Senas redire compulsus erat, ibique nonnisi brevi mora diversatus novem adhuc creavit Cardinales, ne Patrum Collegio destitutus videretur.

## §. CX.

*Concilium ab utriusque Obedientiæ Cardinalibus Pisas convocatum.*

**C**ardinales Benedicti numero octo, vel novem, cum se a suo Papa derelictos omnino cernerent, Romanis Cardinalibus accedunt, omnesque concordibus votis Epistolam divulgant, in qua rei a se gestæ rationem reddunt, & sincera sua extinguendi schismatis, ac restaurandæ pacis consilia exponunt, declarantes, cunctis fidelibus hucusque horum Pontificum alterutri addictis integrum esse, hoc rerum statu permanente, atque utroque Competitore jurisjurandi

Reli-

Sæcul. XV.  
A.C. 1408.

religionem violante, se eorum obedientiæ subducere, adeo, ut si secus facerent, nutriti schismatis reatum incurrerent. In eadem epistola Liburni die vigesima quarta Junii data indixere Concilium Pisis ad festum B. Virginis Annuntiatae Mense Martio proxime sequenti celebrandum, in quo præsentibus Cardinales unionis negotium absolverent, nequidem expectato absentium concursu, eos tamen, qui per se interesse nequiverint, ut saltem idoneos mitterent Legatos, admonerent. Cardinales Avenionenses haud absimilem quoque epistolam quarta decima Julii datam publicarunt, in qua pari ratione Concilium Pisanum convocant; eademque die datis ad Benedictum literis illum de indicto Concilio edocent, atque ut huic intervenire velit, adhortantur, addentes, hunc convocationis modum communi omnium suffragio a se adoptatum esse, eoquod illis, qui neutrius parti adhærent, sic probatum fuisset, & aliunde Sectatores Angeli de Corario, si a Benedicto convocarentur, nullatenus Concilium accederent.

§. CXI.

*Concilium nationale Parisiis celebratum.*

Interea dum Cardinales pro congreganda sua Synodo Pisana ita provident,  
Parisiis